

## CIRCARIA DANIAE ET NORVEGIAE

Circaria illa, „in margine Europae“, sita, repraesentat quidem ordinem nostrum in Scandinavia, sed complectitur Daniam et Norvegiam tantum. Hodie quidem maior pars pristinarum eius domuum sita est in Suecia, sed est notandum provinciam meridionalem istius regni, Skaane, usque ad annum 1658 pertinuisse ad Daniam, idem dic de pago suecico Bohuslän, qui usque ad eundem annum ad Norvegiam spectabat. In antiquo regno Sueciae, sicut in reliquis territoriis septentrionis ordo noster nullas habuit domus.

Pauci fuerunt tunc temporis habitantes in istis regionibus vix evangelio tunc subiectis, exiguusque relativus numerus monasteriorum, ideo unaquaeque domus religiosa illic fundata multo maiorem influxum habuit quam in ceteris partibus continentis nostri, monasteriis innumeris iam a saeculis consitis, coenobia singula solebant habere.

Extensio, et ut ita dicam, iurisdictio huius circariae in decursu medii aevi non manserunt constantes. Ex antiquis catalogis enim patet, circariam „Nouuargiae“ primitus a Danica fuisse separatam. In catalogis Veteris Regi-

433



stri domus huius circariae commixtae sunt canoniis in Scotia, in Hibernia, in Frisia, in Pomerania et in Livonia sitis. Quod attribui eatenus ignorantiae geographiae et linguarum, malae lectioni et aliis erroribus redactorum catalogi. Nunc vero, studiis intensis Dr. Nyberg edoctus<sup>1</sup>, puto omnino fuisse possibile, hanc „Circariam Aquilonis“ revera de jure extitisse. Saltem ad tempus. Norwegia medio aevo arctum connexum habuit ultra mare cum Scotia. Ibi erat in extremo aquilone abbatia Fearn, quae, ut mere celtica, renuit uniri monasteriis in meridie Scotiae sitis, quae fuerunt anglizata. Canoniae Pomeraniae, tunc adhuc slavicae, noluerunt jungi Saxoniae, ex eadem causa. Riga sola et dissita non potuit formare propriam circariam, in Frisia viguit dissensio inter monasteria orientis et occidentis. Simile quid forte accidit in Hibernia. Pro patribus Capituli Generalis haec omnia constituerunt ultima quaedam Thule, de qua habuerunt ideam valde vagam. Ideo has domus inter se tam dissitas coadunaverunt in unam circariam. Ex antiquis catalogis videtur patere, abbatiam Fearn ei fuisse unitam, et abbatias Pomeraniae et capitulum cathedrale Rigense a saeculo XIV de facto unam formasse circariam cum Dania.

In Dania proprie dicta ordo noster habuit ecclesiam cathedralem de Börglum, quae fuit una ex ditissimis et insignissimis coenobiis totius regni, cum dependente parthenone Vrejlev. In Suecia vero meridionali, quae tunc ut supra dixi, ad Daniam pertinuit, quatuor abbatias habuit, quarum una, Ssmae. Trinitatis in Lundis, certe quidem extitit – ut prima probabiliter fundatio ordinis in Scandinavia – sed post breve tempus elanguit, in prioratum fuit redacta et adhuc saeculo XIV probabiliter est exstincta. Praeclara fuit inter illas praesertim Tommarp, canoniam splendida atque spectabilis; et quae, sicut Öved, initio fuerat monasterium duplex, probante obituario Capituli Cathedralis Lundensis.<sup>2</sup>

Ordo noster translatus est in has regiones ante annum 1155 ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi<sup>3</sup>, omnium religiosorum fautore eximio. Sex, vel ad minus quinque ex octo domibus Circariae eo favente sunt fundatae.

Superiores hac in circaria non fuerunt praepositi ut in vicina circaria Sa-

<sup>1</sup> Die skandinavische Zirkarie der Präm. Chorherren o. c.

<sup>2</sup> WALLIN, Tommarps Urkundsbok 1. II, 15, II, 24. III, 21. IV.

<sup>3</sup> Eskillus (Eschyllus) Eskil, recte Eskild) e regio stirpe ortus, fuit episcopus Roskildensis annis 1134–38, dein archiepiscopus Lundensis 1138–79. Metropolita ac Primas Daniae et Sueciae, Legatus apostolicus ac Vicarius perpetuus ab Hadriano nominatus. Resignavit anno 1179, senio fractus, obiit tanquam monachus cisterciensis in Claravalle (Clairvaux) in Gallia anno 1182. Obituarium Praemonstratense laudat eum ut benefactorem ordinis sub die 7a septembris.

Vide J. RASMUSSEN Praemonstratenserorden 550/554, NYBERG o. c., et WEIBULL, Lunds Domk. Nocr. 110.

xoniae, sed abbates ab initio; nequidem parthenon Vrejlev a praepositis, ut alibi de more, sed a prioribus fuit gubernatus. Ecclesias incorporatas canoniae illae habuerunt relative paucas, saeculo XIV et XV iam complures ex eis ipsae administraverunt per canonicos in domibus parochialibus, ab illis exstructis, residentes. Abbates regulariter interfuerunt solemnii coetui provinciali, vulgo „Landthing“, nuncupato.

De vita interna harum domuum haud multa scimus, quia maior pars archivorum periit<sup>4</sup>, nec umquam aliquis studio earum historiae expresse incubuit. Pretiosum tamen est nobis „Relictum Visitationis“ abbatis de Pudagla, de anno 1443<sup>5</sup>, ex quo vidimus disciplinam tunc temporis satis fuisse relaxatam. Sed nihilominus constat, hanc circariam, ut aliae, per saecula optime floruisse, ac fidelitas, qua canonici Burgilavienses simul cum monialibus de Vrejlev suppressioni restiterunt, malentes pauperes ac despecti in coenobiiis suis suppressis vitam finire quam haeresim amplecti, optimum testimonium est pro excellenti eorum spiritu.

Relationes circariae Daniae probantur fuisse vivae cum Gallia (a capite ordinis se numquam, ut alii, separaverunt, vel obedientiae se subtraxerunt), et praesertim cum vicinis circariis Slaviae, Saxoniae et Frisiae. Propter nimiam distantiam abbas generalis iam anno 1289 praesules huius circariae ab annua visitatione capituli generalis dispensavit, decretum est nempe hoc anno, quod omni quadriennio tantum abbas Tönsbergensis, praepositus Burgilaviensis, et unus ex ceteris abbatibus capitulum adire deberent.

Religiosi sanctitate vel scientia excellentes de hac circaria nominatim non sunt nobis noti, praeter aliquos doctores et scriptores spectabiles canoniae Burgilaviensis. Notandus est vero anonymus auctor „Historiae de profec-tione Danorum in Terram Sanctam“ (circa annum 1190), qui erat canonicus Tönsbergensis, non vero Burgilaviensis, ut usquedum putabatur.<sup>6</sup>

<sup>4</sup> Anno 1634, cum Skaane adhuc pertineret ad Daniam, Christianus IV Rex iussit comburere omnia fere archivalia, quae e medio aevo in ecclesiis supererant – ad illustrandas nuptias filii sui per artes pyrotechnicas! Feliciter fere ubique antea registra diplomatum sunt redacta. Quae vero nullo modo sufficiunt, ideo propter defectum documentationis notitia ordinis et pristinorum domuum eius in hisce regnis tantopere periit, ut historici suecici saeculis XVII et XVIII (Messenius et Rhyzelius) unam tantum canoniam ei attribuerent, nempe Öved-de qua ceteroquin nonnisi pauca et falsa narrare potuerunt, et alias domus (Tommarp et Bäckaskog) erronee ordini Cisterciensi adscriberent.

<sup>5</sup> Publicatum est in RDRDM III 619/21, et apud BACKMUND Circaria 111/14. Visi-tator de mandato Capituli Generalis tunc statuit, per biennium tantum terni abbates ex Scandia debere apparere coram eo quotannis ad examinandum et ad recipiendum monitiones salutares.

<sup>6</sup> BACKMUND MaGSchr 244/51 et A. O. JOHNSEN, Ny tolkning.

Tota circaria exstincta est per protestantismum annis 1529/38. Aedificiorum, quorum studio architecturali, dedicavit lepidissimum opus modernus quidam auctor<sup>7</sup>, maior pars ad solum usque est deleta. Structurae illae fuerunt, et partim adhuc sunt, eximii valoris pro historia artis, ut ecclesiae in Tönsberg, in Dragsmark, in Börglum, et in Vå. Splendidissimi ex eis aedificii, canoniae nempe de Tommarp, totalis interitus, proh dolor, est plangendus.

Nostris diebus ordo reversus est in Scandinaviam: Abbatia Averbodiensis administrat aliquas parochias in Dania.

### VÅ-BÄCKASKOG

Haec abbatia fundata est anno 1170 in VÅ (Auue, Uwe, Wå, Vue, Abbio?) prope Kristianstad, Prov. Skåne, Dioc. Lund, Suecia. Fundatores fuerunt Waldemarus I., Rex Daniae et Simon episcopus de Odense. Filia de Tommarp. Combusta est anno 1213. Ecclesia romanica, pulchris picturis ornata, usque ad annum 1810 cum duabus turribus, hodie est parochialis. Coenobium vero versus annum 1250 translatum est in

### BÄCKASKOG B.M.V.

(sic dicunt Sueci, forma danica est Baekkeskov)

Balkiaschog, Bekkeskough, Bekkeschov, Saltus Stae. Mariae, Marieskog. In parochia Kiaby prope Kristianstad, Dioc. Lund, amoene sita inter duos lacus. Vå (B.M.V.) facta est parochia incorporata, ecclesiam de Kiaby cum capella de Kjuge sub abbate Tobia mutata est pro Skepparslöv. Anno 1537 suppressa est. Ecclesia adhuc existens, annis 1270/90 erecta, est valde parva. Monasterium partim subsistit tamquam castellum.

Archivum perit. Supersunt tamen aliquae copiae diplomatum in Kgl. Bibl. København, Annales Collectanea Th. Bartholins – Rigsark. ibidem: Copia chartae an. 1470, et excerpta diplomatum an. 1477/87, et 1503.

Bibliographia: A Pont. Dan. II 17, V 3840 – BACKMUND 102/03 – DAUGAARD 155/58 – DHGE VI 390 – DIPL. DIOEC. LUND V 26 – DIPL. NORW. III 28 – DIPL. SUEC.

<sup>7</sup> LORENZEN (opus infra citatum) tractat historiam canoniarum in antiqua Dania sub visu architecti tantum. Putat inter alia, canonicas illas moenibus non fuisse circumcinctas, ac ideo clausuram in eis ad aedes ipsas fuisse restrictas (Cf. Recensionem in An. Praem. II 94) – opinio, cui aegre fidem praebere possumus.

I 78 – HELVEG 358/60 – HUGO I 233, et II 731 (ex ea facit duo monasteria, quorum unum collocat in Scotiam) – KLN cf. ind. – LORENZEN Passim – MESSENIUS II 6 (erroree eam tribuit Ordini Cisterciensi, cf. JANAUSCHEK p. liij – MÖRNER 80/81 – NILSSON (cf. Tommarp) passim – PONTOPPIDAN II 736 – WÆFELGHEM 18 – WEEKE cf. ind. – H. CARLSSON, Bäckaskog. Abbotar, Kungar och Excellenser, Kristianstad 1960 – G. OLOFSON, Ur Bäckaskogs äldre byggnadshistoria: Handlingar angående Villands härad XIV 1957, 3/7 – J. PONTANUS, Rerum Danicarum Historia 274 – N. SKYUM/NIELSEN, De aeldste privilegier for Klostret in Vae (Scandia XXI 1952, 1/27) – E. THUN, Kvarnstenen Vä (Ale, Historisk tidskrift för Skåneland I 1963, 23/28) – IDEM, Die Wassermühlen, ein ökonomischer Entwicklungsfaktor der mittelalterlichen Städte Schonens (Meddelanden från Lunds Universitets Historiska Museum 1962/63, 224/37) – WEIBULL Tommarps Urkundbok II (vide ibidem) Nr. 69, 84, 92.

Series abbatum (Arch. Reg. Holmiense)

Adam (primus abbas?)	Laurentius 1383
Gilbert 1170?	Johannes 1390
Tobias electus an. 1182	Olaf 1423
Theodricus?	Jens Andersson 1443
Johannes 1241	Niels (= Nicolaus) 1468
Theodricus 1290	Niels Jeppson 1509/29
Petrus 1340	Petrus Thuesson 1535/37
Michael 1343	

BÖRGLUM B.M.V.

Burlina, Byrlum, Burgillam, Burgilavium, Börlum, Burglanensis.  
 prope Hjörning, in extremo septentrione Daniae. Quae regio, nuncupata Vendsyssel, medio aevo fuit insula.

Ecclesia cathedralis. Sylvester, episcopus de Vestervig (Vendsyssel) circa annum 1135 sedem episcopalem inde videtur transtulisse in Börglum, quod antea fuerat castrum regium. Tamen iam anno 1104 haec nova dioecesis ita vocatur. Circa annos 1139/43 erigitur ibi capitulum regulare, ad normam ecclesiae Steinfeldensis, cum qua in posterum ordini Praemonstratensi legitime se adiunxit, quod factum est probabiliter sub Ulrico praeposito Steinfeldensi inter annos 1152 et 70. B. stetit abhinc sub paternitate illius abbatiae rhenaenae. Bona episcopalia et conventualia ab initio erant separata. Titulus abbatibus competebat episcopo (unicus casus inter capitulos cathedrales ordini incorporatos), qui nonnisi raro ex ordine fuit desumptus. Conventui praefuerunt praepositi, qui a saeculo XV fuerunt commendatarii a Curia Romana nominati, qui partim professi sunt ordinem. Capitulum fuit ditissimum,

unum ex maximis et insignissimis coenobiis totius regni, propria iurisdictione civili gaudens, praeclaraque schola praedita. Fuit vere centrum christianae culturae in Dania. Catalogus Ninivensis II scribit de ea: „Opulentus episcopatus, tamen caret civitate cathedrali. Filia Steinveldensis. Fratres nostri ordinis eligunt episcopum, sed aut numquam aut raro gaudent electione sua, impediante regia potestate. Domus episcopalis est juxta claustrum ad dimidiam leucam.“ – Parthenon dependens: Vrejlev. Filiae: Dragsmark, Tönsberg (et Bäckaskog?). Propter coelum asperum canonicis ab anno 1403 habitus niger fuit concessus. Inter capitulum et episcopum saepe et diu vigerunt rixae, anno 1330 conventus ab episcopo ad tempus fuit expulsus. Praepositus Antonius de Fürstenberg (1509/33) e nobili genere Germaniae, fuit unus ex praeclarissimis praelatis in septentrione, irruente novatione lutherana, ac forsan insignissimus doctor juris canonici sui temporis. Anno 1540 canoniam fuit suppressa, canonicis fuit permissum, ut in domo sua vitam communem continuarent. Adhuc 1559 eligitur prior. Abhinc est possessio privata, ad quam adhuc multa bona pertinent. Ecclesia cathedralis, turri carens, in stylo romano exstructa, ac duae alae conventus adhuc supersunt.

Protestantes in posterum sedem episcopalem transtulerunt in Thisted, dein in Hjörning, anno 1554 vero in civitatem Aalborg.

Archivalia: Rigsark. København: 18 dipl. 1445/1502 (non sunt in unum locum congregata). Registrum 310 diplomatum an. 1370/1535, an. 1542 redactum (edd. AeDAReg 1. c.) Cf. BECKER, Arkivregistraturer III.

Bibliographia: AeDAReg I 11/12, III 79/108 – APontDan I 664, nr. 11668/80. Ceteri tomi II/VI cf. ind. – BACKMUND MaGSchr 244 ff. – IDEM, Circaria 103/04 – DAUGAARD 326/32 – DHGE IX 1326 – FABRICIUS cf. ind. – GABRIEL 9, 13 – GOOVAERTS III 191, IV 18 (series episc.) 81, 87, 332, 342 – HELVEG Kirkehistorie 358/60 – HORSKJÆR 77/82 – HUGO I 427 – IDEM, SAM Ep. Gerv. 108 – KLN cf. ind. – KOCH cf. ind. – LANGEBEK VI 551, VIII 316 – LThK II 474 – LORENZEN passim – MESSENIUS cf. ind. – MOLBECH PETERSEN 365 – MÖRNER – NYBERG Skand. Zirk. – PONTOPPIDAN cf. ind. – POTTHAST 25404 – Reg. Bon. VIII 2573 – Rep Germ II 150 – WAEFELGHEM 41 – ZAK EOP (1928) 174, 296, 302, 406, 409, 410, (1929) 46, 48, 52, 56, 135, 136, 137, 141, 142, 144, 146, 240 – Aarboger for Nordisk Oldkyndighed og historie 1895, Nr. 237 – F. v. BAVEL, Der grafzerk van Antonius de Fürstenberg, proost van Børglum, te Nijmegen gevonden (Anal. Praem. LVI 1980, 299/301) – L. BREMS, Het Apostolisch Vicariaat van Denemarken en Ijsland in beeld en schrift, Averbode 1910 – Dansk Biografisk Leksikon, København 1935, VII 521/22 – I. ENGELS, Børglum aan het Skagerrak (Pro Nostris XV 1949, 39/43; XVI 1950 69/71, 96/98) – L. HELVEG, De Danske Domkapitler, København 1855 – LOEFFLER, Udsigt over Danmarks Kirkebygninge 84 – Nye kirkehistoriske samlinger IV 465/73 – T. NYBERG, Die frühesten Bischöfe des Inselbistums Wendila und die Gründung des Präm. Domkapitels in B. – IDEM, Studien zum mitteleuropäischen und englischen Einfluß auf die geistig-kirchliche Struktur Skandinaviens im 11. und 12. Jahrhundert. Generelle Probleme und die frühe Geschichte der beiden regulierten Domkapitel Børglum und Odense in Dänemark (Beiträge zur Geschichte und Quellenkunde des Mittelalters,

Berlin – P. RIEMANN, *Børglum Klosters Historie fra de aeldste tiden til vore dage*, Hjørring 1941 – A. ROUSSELL, *Børglum Kloster*, København 1937 – N. TRAP, *Kongeriget Danmark IV* 136.

Series praepositorum (Arch. Reg. Hafniae, APont Dan)

Olavus Glob 1251 <sup>1</sup>	Andreas Jepsson 1462–
Magnus	Nils Styggeson 1 <sup>o</sup> res. 1478
Johannes 1303/04 <sup>2</sup>	dein epps. Burgilaviensis
Thrugillus 1337	Simon Laesø 1485/93 res.
Olavus 1345/55	Lars Vesteni 1493/97
Johannes 1374	Jens Andersson Baldenak 1497/98
Olavus 1393	Erik Valkendorf 1498/1500 res.
Tetbern res. 1401	Andreas Valkendorf 1500/07
Jens Nilson I 1401–	Antonius Fürstenberg 1507/20 res.
Johannes Bagge 1421/23	Nils Styggeson (Rosenkrantz) 2 <sup>o</sup>
Jon Jenson 1 <sup>o</sup> 1445 res.	1520/40
Jens Nilsson II 1453–58	Inseri nequeunt: Tycho 1. VIII obiit
Andreas 1457?	Romae una cum episcopo suo electo
Mathias Smalsted 1458–	(Ob. Praem. ed. WÆFELGHEM) –
Jon Jenssen 2 <sup>o</sup> –1462	Isaac ibid. 18. XII

DRAGSMARK B.M.V.

Draxmarchenium, Drax-, Traxmarck. Silva Stae. Mariae, Marieskog (vitetur confusio cum Bäckaskog).

Non longe a mare, in valle silvestri amoene situm in provincia Bohuslän, in districtu Läne Harad, in Suecia. Usque ad annum 1658 ad Norwegiam et ad dioecesim Osloensem pertinuit.

Abbatia, fundata tamquam ultima fundatio ordinis in septentrione, ut quidam dicunt, circa annum 1260, probabilius vero iam antea, anno enim 1234 a rege Norvegiae Haakon Haakonson. Rex iste ecclesiam, quam suo sumptu aedificaverat Toensbergae pro Fratribus Minoribus, amovere et transferre iussit in Dragsmark, ubi instituit Praemonstratenses ex Burgilavio advocatos.<sup>1</sup> Canonia tum OSA tum O. Praem vocabatur. Parochiae Mor-

<sup>1</sup> GOOVAERTS IV 87.

<sup>2</sup> Anno 1304 fit episcopus loci (Reg. Ben. XI 581).

<sup>1</sup> Børglum anno 1256 plexum est interdicto. Forte hoc fuit ansa, ut pars communitatis paulo post, versus annum 1260 evaserit in Dragsmark.

landa et Bokenäs circa annum 1420 videntur fuisse incorporatae, quod a Summo Pontifice anno demum 1450 est confirmatum. Abbatia a saec. XIV construxit naves, quibus fecit commercium ultra mare.

Post mortem abbatis Helge circa annum 1510 Christianus II Rex novam electionem impedivit et administratorem saecularem intrusit. Ex quo vero nequaquam concludere licet abbatiam iam tunc fuisse saecularisatam, saepius enim tale quid fecerunt principes. Bona anno 1532 cuidam Petro Störle sunt locata, conventui vero permisit rex Christianus III, ut in domo sua maneret ea conditione, ut praedicatorum luthericum sustentaret. Post annum 1561 ultimi Praemonstratenses expulsi et bona a fisco regio sequestrata sunt. Supersunt ruinae modicae.

Archivum perit. Rigsark. København: 2 dipl. 1492, et aliqua alia an. 1519/23.

Bibliographia: BACKMUND *Circaria* 104 – DHGE XIV 784 – DiplNorw I 965, II 243, 702, 955, 968, 969, 1070, III 29, 160, IV 671, V 3, 193, VIII 518, X 673, XII 320, XIV 39, 40, XVI 84, 93, 314 – DiplSuec I 273 – HUGO I 64. Per errorem eam collocat in Pomeraniam – KEYSER I 451/53, II 650/90 – KLN – KOLSRUD – LANGE 35, 473/79 – LANGEBEK VI 418, VIII 317 – MUNCH – NgL 2 II 209, 257 – WAEFELGHEM 80 – WIESELGREN 53 – J. Chr. BERG, *Dragsmark Kloster* (Bidrag til kändedommen om Göteborgs och Bohusläns fornminnen VI, Göteborg 1895) – IDEM, in *Samlinger til Norges Historie* V 377 – T. GJÖTTERBERG, *Premonstratenserorden, en medeltida västsvensk kulturförbindelse med Rhenländerna* (Bohusläns Hembygdsförbund *Arsskrift* 1970, 15/22) – IDEM, *Skeppan från Dragsmark* (Göteborgs Handels och Sjöfartstidning 15. 4. 1961) – J. S. LIDDELL, *Dragsmarks Kloster* (Svenska Turistföreningen *Arsskrift* 1901, et separatim Uddevalla 1923) – E. LUNDBERG, *Klosterruinerna i Dragsmark och Gamla Kungahälla* (Göteborgs och Bohusläns Fornminnesförenings *Tidsskrift* VI 1942, 76/79) – N. NIKLASSON, *Klostret in den stilla dalen* (Vikarvet 1952/57 av det Bohuslänska Fornminnesällskapet, Lysekil 1957). –

#### Abbates

Jacobus 1407<sup>2</sup>

Nicolaus 1423/39<sup>3</sup>

Joannes 1473<sup>4</sup>

Thorer 1489/92<sup>5</sup>

Helge 1500/10

<sup>2</sup> Dipl. Suec. NS I 697.

<sup>3</sup> Dipl. Norw. XIV 52.

<sup>4</sup> Västergötlands Fornminneförenings *Tidsskrift* 1938.

<sup>5</sup> Dipl. Norw. II 955.



## LUND SS. Trinitatis

Monasterium eterni Salvatoris.

In civitate ac sede archiepiscopali in Suecia (olim Dania).

Catalogus Le Paige adducit: SS. Trinitatis olim Ecclesia Cathedralis. Hugo II 114 scribit archiepiscopum Lundensem Eskillum, magnum fauorem ordinis, ecclesiae suae cathedrali capitulum regulare O. Praem. adiunxisse. Atqui haec Cathedralis ecclesia patronum habet Stum. Laurentium, ac omnes historici indigenae in eo consentiunt, quod capitulum eius numquam fuit regulatum. Alii admittunt existentiam abbatiae SS. Trinitatis in civitate Lundensi, ab ecclesia Cathedrali independentis, incerti vero ordinis; alii vero dicunt allusiones huiusmodi in documentis factas revera dictas esse de canonia Öved, quae in eadem dioecesi sita, eodem patrocinio gaudet. Respectis vero circumstantiis, „conversi SS. Trinitatis in Lund“ qui in necrologio Capituli Cathedralis Lundensis occurrunt<sup>1</sup> existentiam canoniae huius probant, et obituarium Praemonstratense (ed. V. Waefelghem, ad 7. Sept. et ad 19. Nov.) praesertim vero Epistola Abbatis Wilhelmi de Aebelholt<sup>2</sup> omne dubium excludunt.

<sup>1</sup> WEEKE, o. c., p. 208, nota. (Primus ex historicis indigenis, qui, etsi per transennam tantum, canoniam hanc ordini nostro attribuit).

<sup>2</sup> Beatus Wilhelmus, natione Gallus, abbas canoniae Aebelholt in Dania, Ordinis Sancti Augustini Congregationis Sancti Victoris Parisiensis, scripsit paulo post annum 1180 ad amicum suum Hugonem II, abbatem Praemonstratensem: „Amantissimo Patri et Domino Hugoni, Dei gratia Praemonstratensi Abbati Frater Wilhelmus de Paraclyto, minister indignus, intimum dilectionis effectum. Dilectio, qua nos quondam invicem dilexisse probamur, nos ad scribendum constanter impellit, quae non renovari recentioribus possit officiis, quia, nisi fallimur, nullo tempore consenescit. Neque enim fas est studium torpere, quod aequa benignitas compensatione gratiae muneratur. Pro venerabili autem fratre et Coabbate nostro Joanne de domo Sanctae Trinitatis in Lundis suscepimus apud clementiam vestram agendum, quia quem benignioris familiaritatis gremio confovemus, nec precibus eius nec necessitatibus deesse volumus vel debemus, maxime cum eius opinio a justitiae tramite non excedat. Vir siquidem simplex et rectus est, et recedens a malo. Nec apud paternitatem vestram eum velut ignotum commendamus, qui de vestri testimonii plenitudine gloriatur. Quod si forte quispiam auribus vestris quidpiam intulerit ore blasphemio, quo laedi debeat eius opinio, ad vestram memoriam veniat, quod beatus Hieronymus dicit . . . unum est igitur, carissime Pater, quod et rogamus, quod et supplicamus, ut honori ordinis vestri providentes malos tollatis de medio, per quos domus defamatur, per quos, ut audivimus, domus substantia deperit et confunditur ordo . . . At vero, si, quod absit, vestrae discretionis examen animositatem contradictorum atque rebellium in eadem domo non reprimat, Dominum Archiepiscopum, cuius est frequens et sollicita circa domus religiosas industria, noveritis manus scele-

Vide etiam Dipl. Dan I 3, 1976/77, 542/44, N. DAMSHOLT, Abbed Vilhelm af Aebelholts brevsamling (Hist. Tidskrift 1978), et NYBERG o. c.

Videtur ex his omnibus, hanc abbatiam fuisse fundatam ante annum 1164 ab archiepiscopo Eskillo, ut filia archicoenobii Praemonstratensis. Fieri potest, ut prima fundatio Ordinis in Scandinavia. Duo abbates tantum sunt noti ex documentis: Joannes 1164/89, et Huglech.<sup>3</sup> Constat, primam fundationem abortivam canoniae Belbucensis in Pomerania circa annum 1180 ex hac canonia Lundensi esse peractam. Post annum 1180 vero apparent in ea abusus, de quibus abolendis curat, licet in cassum, mater Praemonstratensis. Probabiliter hac de causa fundatio in Belbuck non successit.

Fieri tamen potest, canonicos SS. Trinitatis usque ad resignationem fundatoris et fautoris sui Eskil anno 1177, de facto functos esse officio quoddam capituli cathedralis. Postea adiutorio amici sui orbat, successore illius minus favente, aliam activitatem quaesiverunt, fundantes canoniam Belbuck, secum ferentes calendarium quoddam quod scatet allusionibus et elogiis de archiepiscopo praefato, et quod postremo venit in abbatiam Kolbatz O. Cist in Pomerania.<sup>4</sup>

Ex catalogis de Ninove et de Tongerlo reperimus sortem huius domus. Habetur nempe in eis: „Sta. Trinitas in Lundensi metropoli, filia Praemonstratensis, modo prioratus est de Ewide.“ Ex quo patet, hanc pristinam abbatiam saeculo XIII modeste adhuc extitisse tamquam prioratus abbatiae de Öved. Translatio vero titulus abbatialis in illam domum certe non est peracta. Hugo scribit: „Saec. XIV vigeat in Lundensi ecclesia ordo noster, sicut ex capitulorum et indicum testimonio constat.“ Quando desierit haec domus, nescimus. Deinceps non amplius de ea fit mentio. Nuper fundamenta ecclesiae (Drottens kirke) sunt evacuata.

Tamen omne dubium non est exclusum: fieri enim potest, hanc abbatiam SS. Trinitatis et Öved fuisse unam eandemque: primo fundata in Lund cum domo dependenti in Öved, et postea vice versa. Numquam enim existunt duo abbates earum simul.

In documento quodam anni 1340 abbatia OO. SS. in civitate Lundensi ordini nostro attribui videtur<sup>5</sup>, quod evidens est error, quia hanc abbatiam semper fuisse OSB abunde ex documentis probatur.

---

rum ultrices apponere, et mediante iudicio praedictae domus enormitates sollicitudine paterna corrigere. Vae igitur eis, per quos scandalum venit . . .“ (Diplom. Suec. an. I, 114).

<sup>3</sup> WEIBULL Nocr. Lund. 21. II.

<sup>4</sup> Quam hypothesim mihi communicavit Prof. Nyberg, Odense.

<sup>5</sup> „Petrus de Vae, Petrus Omnium Sanctorum Lundis, Michael de Götho in Tome-thorpe, Praemonstratensis ordinis monasteriorum abbates . . .“ (Dipl. Suec. IV nr. 2500).

Archivalia praeter fontes supra allatos, desunt.

Bibliographia: BACKMUND, Circaria 105/07 – KLN – LANGEBEK VI 62 (epistola abbatis Wilhelmi) – NYBERG Skand. Zirk. – Ob. Praem. I 7. IV – PETERSSOHN cf. ind. – WAEFELGHEM 155 – WEIBULL Necr. Lund. 21. II – R. BLOMQVIST, Thule grävningen 1961 (Archaeologia Lundensia II, Lund 1963, 67/89, 109, 284/85) – IDEM, St. Drotens kyrka i Lund (Kulturens årsbok 1944) – IDEM, Lunds historia under Medeltiden, Lund 1951 – HOOGEWEG, Stifter und Klöster in Pommern, Stettin 1925, I 13 – W. MÅRTENSSON, Uppgrävt förflutet för PKBanken i Lund. En investering i arkeologi (Archaeologia Lundensia VII, Lund 1976, 127/34) – T. NYBERG, Klostren i abbot Wilhelms brev (Kirk. saml. 1971, 45/57) – WEEKE cf. ind. – A. ZAK, Das Präm. Stift SS. Trinitatis in Lund Sueviae (sic!) in: Anal. Praem. VI 1930, 373/75. –

### ÖVED SS. Trinitatis

Antiquitus Öfved. Danice övid, övith.

Ouedecloster, Ovedkloster, Ewid, Ewithensis, Öwed, Insula SS. Trinitatis.

Ad lacum Vomb, non longe a civitate Lundensi, Suecia, Dioc. Lund.

Abbatia, fundata versus inter annos 1155/70 probabiliter ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi ut monasterium duplex. Filia Praemonstratensis. Moniales mox abrogantur. Filia: Tommarp. Parochia incorporata: Öved. Prioratus dependens: Lund SS. Trinitatis (vide supra). Anno 1535 suppressa, anno 1680 adhuc in ruinis, hodieum nil amplius superest. Nunc loco eius est castellum.

Archivum periit. Copia unius chartae an. 1346 edita est in Dipl. Suec. V 525.

Bibliographia: APontDan II 1360 – BACKMUND Circaria 107 – DAUGAARD 167/68 – Dipl. Dioec. Lund III nr. 2 – HELVEG 358/60 – HUGO I 653 – KLN – LANGEBEK III 510, VIII 316 – LORENZEN 78 – MÖRNER 80 – Ob. Praem. (ed. WAEFELGHEM) 10. VI: Akonis abbatis de Ewith – WAEFELGHEM 86 – WEEKE cf. ind. – L. WEIBULL, Den skånska kyrkans älsta historia (Hist. Tidskrift för Skåneland V, 1914, 215 ff.

### Series abbatum (Arch. Reg. Holmiense)

Johannes (inter annos 1157 et 82)	Andreas 1341
Algotus	Agho (Aage) 1423
Radulf	Niels Jonsson 1443
Acco	Laurens Jensson ca. 1502
Svend	Jens Persson 1531–34

## TOMMARP SS. Petri et Pauli

Tommentorp, Tumetorp, Tommerup, Tomatorp, Tömmar, Tumetolph (falso etiam Tupholm, inde apud Hugo confusio cum abbatia anglica huius nominis).

Abbatia, prope Simrishamn, non longe a mari, in Suecia, Dioc. Lund.

Fundata versus annum 1155 a Valdemaro rege Daniae et ab Archiepiscopo Eskillo, filia Praemonstrati, de facto vero fuit sub paternitate abbatis de Öved, ut patet ex catalogis Windbergensi et Tongerloensi.

Initio monasterium duplex, ut patet ex Necrologio Lundensi.

Mater de Vå-Bäckaskog. Usque ad annum 1230 exercuit paternitatem in abbatiam Usnamensem (Grobe-Pudagla, Circ. Slaviae). Die 22 nov. 1155 confirmatio papalis. Adnexum ei fuit hospitale ad Stum. Laurentium. Ecclesiae incorporatae: Tommarp B.M.V., Simrishamn, Järrestad, Gladsax, quae parochiae a canonicis administrabantur. Insuper Valby, Östra Vemmerlöv, Rörum, Bolshög et hospitale S. Spiritus in Simrishamn. Saepius fuit combusta, v. g. anno 1304. Abbas Joannes Isakson (1397–1433) et successor eius nova aedificia splendida erexerunt. Ad hoc obtinuit canoniam indulgentiam, et permissum fuit ut „tabula monasterii circuiret in tota dioecesi“. Anno 1529 suppressa est, et a rege burgimagistro Malmöensi, Georgio Kock, donata. Sed vita religiosa perrexit adhuc per aliquos annos. Hodie nil de ea superest, sed evacuati lapides artificiosissime sculpti, probant hanc canoniam medio aevo de pulcherrimis aedificiis fuisse totius Scandinaviae.

Archivalia: Rigsark. Kobenhavn: 47 dipl. 1155/1531, Registrum bonorum ca. an. 1490, Registrum 99 diplomatum an. 1266/1532, redactum an. 1550 (ed. AeDAReg l. c.) – Cetera sunt in Stockholm. Minuta vide apud WALLIN *Urkundbok o. c.*

Bibliographia: AeDAReg IV 365/82 – BACKMUND Circ. 107/08 – BRUNIVS 330 – DAUGAARD 165/67 – Dipl. Dioec. Lund. IV 216 – HELVEG 358/60 – HILDEBRAND III 951 – HUGO Ann. II 997 – IDEM SAM Ep. Gerv. 121 – JEXLEV I 47/53 – JOHNSEN Nytolkning – KLN – LANGEBEK III 518, VIII 316 – LORENZEN 77 – MESSENIUS eam falso attribuit Ordini Cisterciensi, cf. Janauschek p. liij – MÖRNER 79 – NYBERG Skand. Zir. – RDRDM Ia ser. Nr. 20 – WAEFELGHEM 300 – WALLIN *Årkebiskop* – WEEKE 1. X; 18. V (Crismannus quondam abbas) – E. FROSTIN, St. Knut och Tumathorp (Svenska Dagbladet 21. 8. 1955) – A. B. NILSSON, Försvunna Skånska medeltidstäder (Svenska Turistföreningen Arsskr. 1908, 106/31) – L. REDIN, Tommarp (Skånes Hembygdförbunds Årsbok 1972, 61/80) – Svenska Riksarkivets Pergamentsbrev 1351/1400 cf. ind. – Tumathorp, en stad under jorden. Fynd från arkeologiska grävningar 1967/68, Utställingskatalog 1968 – L. TYNELL, Västra Tommarps kyrka i Skåne (Vitt. Hist. och Ant. Akad. Månadsbl. 1892, 104/14) – E. THUN, Medieval Tommarp (Archaeological investigations 1959/60 (Acta Archaeologica Lundensia, series in 80, Nr. 5, 1967) – C. WALLIN, Tommarps Urkundsbok 1085–1600, 3 voll. Klostret, Hospitalet, Staden,

Socknen, Stockholm 1955/81 – L. WEIBULL, Valdemar Is privilegium för Tommarps Kloster (Scandia XV, 1943, 86/94).

Series abbatum (WALLIN)

Patricius 1155	probabiliter idem ac sequens:
Hugo 1170/80	Johannes Isakson 1397, res.? † 1433
Crismannus res.	Jens Nielsen inter 1419 et 27
Ascerus	Jacobus 1433/35
H . . . . . 1219	Johannes Mathiae 1443
Manne 1241	Jon Nielsson 1442/44
Ebbo 1322	Niels Tordsson 1479/1504
Thordo 1333–	Cristiern 1504/11
Hagen 1339	Mathias Persson 1511/22
Michael de Götho 1340/44	Jacobus Olsson 1522/29
Olaf 1343?	Inseri nequeunt (Necr. Lundense)
Michael 1344	Aegidius (res.) 29. X
Benedictus 1346	Hamundus 20. V – In Necr. de
Petrus 1378–	Bonne-Espérance, ed. BROUETTE;
Johannes Poulson 1384/86	Haymundus † 30. 4. Probabiliter
Johannes electus anno 1393	idem.

TØNSBERG St. Olavus

Thuswerga, Tunsberga, Olewyn, Oleuum.

Catalogus N II exacte describit situm huius canoniae: „In provincia Nidrosiensi distat a ciuitate Asloensi per tres dietas si per terram si per mare ad unam insula est ad leugam a diocesi asloensi tunsbergia usque occidentem“ – In Norwegia.

Fundatio huius canoniae est intricata. Ecclesia Sti. Michaelis in eadem ciuitate sita, primitus capella castralis, postremo collegiata regia, numquam fuit incorporata canoniae nostrae, econtra „cum suis pertinentiis canonicos Praemonstratenses in eadem villa commorantes sustentabat“. <sup>1</sup> Primi canonici venerunt, circa annum 1191, ex Börglum, apparenter aliquo modo irre-

<sup>1</sup> BACKMUND MaGSchr 248. Profectio Danorum in Hierosolymam, de quo hic tractatur, est opus praestantissimum, a canonico probabiliter Tonsbergensi redactum. Vide ibi et amplam bibliographiam hac de re, sicut M. Cl. GERTZ, Scriptores Minores Historiae Daniae mediū aevi, Köbenhavn 1922, II 473 ff., L. HOLM OLSEN in: Norsk Historisk Tidsskr. XXXV 1951, 459/83 et LUNDE Nye sider o. c.

gulari. Mox facta est abbatia. Difficultatibus politicis exortis (bellum enim erat inter Daniam et Norwegiam) conditiones postulaverunt separationem, et ideo declarata est Tønsberg „filia Praemonstrati“, ut saepius evenit in casibus huiusmodi. In Cat. N II vocatur „filia Burgillanensis“, in catalogis TAW circa annum 1320 non iam adnumeratur Circariae Daniae, sed separatim adducitur, ut Dragsmark, „in Norwegia“. Dotata est canonia ab episcopis de Oslo, cum quibus postea litigavit de ecclesia parochiali in Slagen. Primus abbas notus, Orm scilicet, annis 1226/40 erat episcopus Osloensis. Anno 1289 Capitulum Generale decrevit, quod abbas Tunsbergensis omni quadriennio tantum, propter nimiam distantiam, Capitulo se praesentare deberet. Ecclesia, duabus rotundis in stylo romanico consistens (aedificata circa annum 1200), maximi momenti est pro historia artis in Scandinavia. Apparet auctoritates civiles haud raro congressus habuisse mere profanos in ea. Anno 1532 Rex canoniam suppressit et dedit eam cum omnibus bonis cuidam Erico Ugerup. Sed vita regularis perrexit, donec anno 1536 tota civitas una cum abbatia esset combusta. Conventus dein est dispersus. Monasterium videtur saltem partim in posterum fuisse reconstructum ad fines profanos. Paulatim vero corrui, initio saeculi peracti adhuc videbantur ruinae. Sed mox omnia solo sunt aequata. Anno 1877 casu fundamenta ecclesiae rotundae detecta sunt.

Archivum perit. Rigsark. Oslo: Registrum 64 diplomatum an. 1265/1542, an 1622 redactum (ed. TANK).

Bibliographia: BACKMUND Circaria 108 – IDEM, MaGSchr 244 ff. – BANG 194 ff. – Dipl. Norw. I 365, 525, 598, 599, 600, 601, 669, 752, II 311, 606, 637, 660, 707, 1157, III 26, 29, 282, 734, 823, IV 351, 362, 635, 1028, V 486, 579, VI 110, 132, VII 82, 297, 373, VIII 481, 544, IX 667, XI 41, 45, 56, 93, XII 546, XV 1, XVIII 28 – HUGO Ann. erronee duo monasteria ex ea facit II 981, 999 – HUITFELDT 204/11 – KEYSER I 650, 690 – KLN – KOLSRUD I 207 – LANGE 446/53 – LANGEBEK VIII 316 – Lettr. com. Jean XXII 16929 – TANK 145/50 – WAEPFELGHEM 297, 381 – FRÖLIN – A. O. JOHNSON Tønsberg gjennom tiderne, Oslo 1961 – O. LUNDE, Nye sider ved klosterhistorien etter de senere års undersøkelser (Nicolay Tidsskrift för Studentföreningen för Nordisk Arkeologi, Universitets Oldsaksamling Oslo Nr. 10, 1971, 11/15 – IDEM St. Olavsklosterets Kircke, Nordens største rundkirke, Tønsberg 1971. –

#### Series abbatum (Arch. Reg. Osloense)

Orm 1223	Olaf Salmundsson 1403/31
Arnstein 1318/22	Nils Helgesson 1436
Ogmund 1330	Petrus ca. 1450
Benedictus 1355/59	Nils 1513/32
Gunnar 1368	

## VREJLEV St. Nicolaus

Ureklefenium, Wrechlöf, Uralöf, Wreglöff.

Prope Hjørring, Jylland, in insula quondam Vendsyssel, in septentrione Daniae. Dioec. Børglum.

Parthenon, dependens a Børglum. Anno 1215, haec ecclesia misit canonicum Romam, ut erectionem parthenonis dependentis impetraret, quod probabiliter ante annum 1227 est peractum. Anno demum 1253 prima vice in documentis apparet parthenon, qui, a priore et a priorissa rectus, per saecula floruit. Primae moniales venerunt probabiliter ex Treptow (Circ. Slaviae). Ecclesia incorporata: Hastrup. Anno 1538 suppressus, factusque est praedium regium. Moniales in eo vitam suam finire potuerunt, adhuc anno 1560 verbum fit de conventu. Aedificia partim supersunt. Ecclesia est romanica, gotice fornicata anno 1500, quo tempore etiam aedificia claustralia erecta sunt.

Archivum periiit. Anno 1556 redactum est registrum diplomatum an. 1254/1551 (Rigsark. København, ed. AEDAReg III, 30/44)

Bibliographia: BACKMUND, Circaria 108/09 – DAUGAARD 332/34 – HELVEG 358/60 – HORSKJÆR 262/66 – HUGO II 1147 – Kirk. Saml. 5 R III 609 – KLN – LANGEBEK VIII 316 – LORENZEN 38 – NYBERG Skand. Zirk. – J. B. LØFFLER Vrejlevs Kloster og Klosterkirke (Kirk. Saml. 2 R VI, 1872/73, 361/74) – P. RIEMANN, Vrejlevs Klosters Historie (Vendsysselske Aarbøger, udg. af Historisk Samfund for Hjørring Amt XVI 1947, 1/104; XVII 1948, 105/190) – G. SMITH De Danske Nonneklostre indtil 1250 (Kulturhistoriske Samlinger 1973, 9/11) N. TRAP, Kongeriget Danmark V 205 ff.

### Series antistitum (RIEMANN)

#### Priores

Niels 1340	Niels Michill Nilsen 1462
Jon Jensen ca. 1420	Niels Nilsen Banner –1479
Anders Jepsen 1451	Peter Bang 1483/84
Mathias 1461	Povl Andersen 1502/06

#### Priorissae

Caecilia 1335	Anna Povlsdatter 1508/36
---------------	--------------------------

### DUBIA ET PRAETERMISSA

Annalista noster Hugo, Lairuelio fidens, septem alias canonias circariae adducit, quarum sex in dioecesi Osloensi collocat, quae vero de facto in aliis

regionibus in margine Europae tunc notae fuerunt sitae, et qui forte partim ad tempus illi „Circariae Aquilonis“ (de qua supra in praefatione huius circariae) fuerant addictae. Partim vero aperte pertinuerunt ad alias circarias (Busko), vel nequeunt identificari (Iburg). Hugo dicit apud Sigeberg, Beatum Evermodum, Episcopum Raceburgensem, fidem in Norvegia praedicasse, primo ibidem canoniam Tunsbergensem, dein circa annum 1149 Sigebergam ac postremo per discipulos suos quinque alia monasteria fundasse. Fontes indigenae vero probant Tunsbergam reapse inter annos 1180 et 1200 esse fundatam, alteramque canoniam norvegicam, Dragsmark, multo serius.

Ex Chronico Gratiae Dei<sup>1</sup> quidem suspicari possumus iam medio saeculo XII Praemonstratenses e Saxonia evolasse in Scandinaviam, sed de praedicatione Sancti Evermodi, qui anno 1178 obiit, et de aliis quinque canoniis, ne verbum fit quidem, nec aliunde aliquid de hac re probari potest. Atqui Sigeberg idem est ac Langen in Frisia. Ideo totum est rejiciendum, probabiliter inventum est postea, ad augendam gloriam Beati Evermodi.

Sequuntur monasteria quae suo loco omnia citantur etiam apud Van Wae-felghem, Backmund et Cottineau.

#### ABBIO

Quam Hugo I 121 adducit ut filiam de Tumetolph, quod collocat vero in circariam Saxoniae. Multi historici in Germania, praesertim Winter (p. 319) hoc de problemate in cassum insudarunt, quia nullibi in Germania tale monasterium umquam inventum est. Puto vero Abbio esse idem ac Vå in Cir-caria Daniae, quod revera fuit filia de Tumetolph-Tommarp, et quod in anti-quis indicibus (v. g. in Cat. Ninivensi) Auue nuncupatur.

#### BUSCHA

(Hugo, I, 429), probabiliter = Busko, parthenon circariae Poloniae.

#### GRAFERGOS

Hac vice assentire debemus Lairuelio, qui recte eam in Hibernia collocat. Idem nempe est ac Goodborn-Carrickfergus, canonia virorum in pago An-trim. Hugo I 759 vero de ea facit parthenonem prope Oslo, a Tunsberga de-

<sup>1</sup> Vide supra apud Circ. Saxoniae (Gottesgnaden).



pendentem, et ut dicit, a Friderico Rege (1534–88) suppressum. Antiqui indices usquedum noti, hibernicam Grafergos tantum adducunt.

#### IBURG

(Hugo I 863). Unum coenobium solum huius nominis in tota Europa est notum: Abbatia O. S. B. prope Osnabrück in Germania.

#### MERNA

(Hugo II 241) probabiliter non est idem ac Marne, monasterium duplex prope Groningen in Frisia, ut primo aspectu dicere velimus, sed potius, ut ex infra dictis videbimus, idem ac Ripa Marnae = Aland, aliud monasterium duplex in Frisia orientali.

#### ROSKILDE

Hugo II 985 praetendit quod Absalon, Episcopus Roskildensis in Dania, anno 1177, ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi instigatus, capitulo suae ecclesiae cathedralis consuetudines Praemonstratenses iniunxit. Revera e fontibus indigenis apparet Absalonem probabiliter – nequaquam certe – vitam canonicam ad normam Regulatorum Sti. Augustini quam ipse postea amplexus est, in capitulo suo cathedrali introducere conatum esse, sed in vanum, vel absque successu manenti.

#### SIGEBERG

Hoc de conventu Hugo II 803 sat minuta praebet. Expresse dicit non esse idem ac canoniam huius nominis in Holsatia (Holstein) sitam quae a Sancto Vicelino fundata, Ordini canonicorum Sti. Augustini fuit aggregata<sup>2</sup> Quid sentiendum vero sit de hoc monasterio, quod in Norvegia numquam exstitit, iam supra dixi. Secundum Hoogeweg<sup>3</sup> Segeberg idem est ac Langen in Frisia Orientali. Tria monasteria huius regionis (Aland, Langen, Barthe) in non-

<sup>2</sup> Haec canonia Segebergensis misit circa annum 1186 primos canonicos in Rigam, ad capitulum regulare juxta ecclesiam cathedralem ibi instituendum. Postea hoc capitulum ad ordinem nostrum transiit, de quo vide infra apud circariam Livoniae.

<sup>3</sup> Die Klöster Niedersachsens S. 77. De Segeberg vide HHSD I 242.

5  
nullis antiquis catalogis, ut in Ninivensi, apud Circariam Frisiae sunt ommissa, alio loco vero separatim sunt adducta absque ulteriore additione, sub nominibus Merna, Sigeburg, Werethe. Probabiliter in iis indicibus, quos consulabat Lairuelz, casu haec tria eodem modo post circariam Daniae fuerunt scripta, ita ut suspicari posset has domus ad illam circariam pertinuisse. Tali modo nempe multi errores sunt orti. Ergo probabiliter

#### WERETHE

(Hugo, II, 1161) idem est ac Barthe in Frisia.

